

X

IN MAEVIVM POETAM

Iambicus

Malā solūta nāvis exit ālite,
 Ferēns olentem Maevium.
Vt horridīs utrumque verberēs latus,
 Auster, mementō flūctibus ;
Niger rudentēs Eurus, inversō marī,
 Frāctōsque rēmōs differat ;
Īnsurgat Aquilō, quantus altīs montibus
 Frangit trementēs īlicēs ;
Nec sīdus ātrā nocte amīcum appāreat,
 Quā trīstis Ōrīōn cadit ;
Quiētiōre nec ferātur aequore,
 Quam Grāia victōrum manus,
Cum Pallas ustō vertit īram ab Īliō
 In impiam Āiācis ratem.
Ō quantus īnstat nāvitīs sūdor tuīs,
 Tibīque pallor lūteus,
Et illa nōn virīlis ēiulātiō,
 Precēs et āversum ad Iovem,
Iōnius ūdō cum remūgiēns sinus
 Notō carīnam rūperit !
Opīma quodsī praeda curvō lītore
 Porrēcta mergōs iūverit :
Libīdinōsus immolābitur caper,
 Et agna Tempestātibus.